

nostri *Zuverlässige Nachr. v. d. vornehmst. Schriftstellern. P. II. p. 574. et P. III. p. 38.*

CXC.

491 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 189. 4. a diversa manu currente calamo scriptus complectitur sequentia: I. Indicem Contentorum in *Origenis Homiliis* in IV. priores Libros *Moyssis*, prout ex *Rufini* interpretatione extant edit. *Maur. Opp. T. II. Paris. 1733. p. 52. f.* Initium: *In prima Omelia Origenis super genesin ponitur de inicio creaturarum. Quare arida appelletur terra &c.*

II. fol. 15. Tractatus e Scripturae, Patrum et Conciliorum effatis coagmentatus de Dispensatione prudenti et fideli Sacramentorum, cui manu coeva inscriptum: *Magistri Jacobelli*, id est: *Jacobi de Misa Theologi Prag. Partium Hussiticarum.* Initium: *Quia dispensatoribus in domo dei sacramentorum precipitur Math. VII. Nolite sanctum dare canibus &c.* Nihil in hoc Scripto absconum, cujus nemo eorum, qui de *Jacobello* egere, quod sciam, meminit.

III. fol. 39. *Excerpta de tractatu fidei contra diuersos errores super titulum de Summa trinitate et fide catholica in decretalibus contra illos qui non recipiunt purgatorium.* Triplex hic error impugnatur: quod nullum peccatum est ueniale, quod quando dimittitur culpa, dimittitur pena, et

Denis Codd. mfs. theol. Bibl. Palat.

quod suffragia ecclesie non profunt mortuis. Contra *Wicleffianos* in *Bohemia* Scriptum dirigi puto.

IV. fol. 51. Sententia catholica de Adoratione Crucis Christi, quae in fol. Codici praetexto dicitur *Magistri Stanislai de Znoyma.* Praemittuntur varia de triplici Cultu Latriae, Hyperduliae et Duliae, quid sit Adorare, Colere, quibus conueniens, de SS. Reliquiis, de piis Peregrinationibus, tandem triplici responso Crucis Adoratio et Veneratio adferitur. Initium: *Secundum sanctos doctores communiter loquentes videamus fraterne, quid sit venerandum &c.* Ad calcem: *Et sic est finis trium responsionum ad questionem qua queritur, Quomodo et qua adoratione Crux in qua Dominus noster pependit pro salute humani generis sit ueneranda. A. d. M^o CCCC^o XVIII. feria II. ante viti Martiris.* Quod de anno scriptionis intelligas, velim; Autor enim *Stanislaus*, si *Lupacio* in *Ephem.* ad d. II. *Octobr.* fides, jam anno 1414. e Concilio *Const.* revertens mortem obpetiit. Porro de hoc ejus Opusculo nullam mentionem fieri video.

V. fol. 75. Collectanea varia, maximam partem e PP. Scriptis de diuersis materiis, puta Sacerdotio, S. Caena, Eleemosyna &c. aliqua tamen Chronologica, et Moralia versibus et Rhythmis inclusa. Ita initio Chronologia sacra Evangelistarum, Patrum et Ordinum Religiosorum, ubi inter alia: *Anno domini 608. concedit*

N n

impe-

imperator foeba bonifacio pape quod ecclesia Romana fit caput omnium ecclesiarum. Commentum inde ortum, quod *Phocas* iusserit *Thomam* Patriarcham *CPolitanum* Titulo *Oecumenici* abstinere. Anno domini 1220. ordo *Carmelitarum* instituitur. Anno domini 1253. ordo fratrum de penitentia martirum confirmatur. De Ordine hoc

alias *Cyriacorum* dicto, inter *Canonicos Regulares* relato et *Pragae* Ecclesiam *S. Crucis* tenente, nunc vero abolito lectu digna traduntur a *J. Flor. Hammerschmid* in *Prodr. Glor. Prag.* C. V. p. 202. Atque haec ejus memoria *Codicem* in *Bohemia* scriptum probat. Ut etiam *Metrica* non diffimulem, en Specimen:

Dic homo quid speres cum mundo totus inheres.

Tecum nulla feres, licet omnia solus haberes. &c.

Res dare pro rebus pro verbis verba solemus.

Pro variis verbis montanis utimur herbis.

Pro caris rebus pingmentis et speciebus.

Non transeundus demum *Catalogus Ducum et Regum Bohemiae*, *Episcoporumque et Archiepp. Pragensium*, quorum prior satis exactus ad *Cl. Pelzelii Hist.* vernaculam in *Chronologiam* tamen quandoque peccat. Ita: *Borziwoy* qui baptisatur a *Metudio* anno d. 994. *Addam* et alia. *Boleslaus III.* adpellatur hic *mitis*. *Wladiboy* de quo nil boni legitur. *Wladislai II.* coronatio adfigitur anno 1149. *Wenceslao I.* additur *Monoculus*. *Ottocarus* coronatus dicitur a. 1260. In *Wenceslao Caroli* filio fititur. *Elenchus* sacer parum abit a *Balbiniano Miscell.* L. VI. P. 2. p. 34. *Dietmarus* tamen primus *Episcopus* constitutus dicitur a. 969. *Adalberti* Martyrium tribuitur anno 1007. *Budislaus* dicitur *Budilow*. *Johanni III.* additur *ἐπιθετος* *Largi*. *Gregorius* predicavit in *Ecclesia pragen.* usque mortem. *Johannes* pro *Gensteinio* hic audit

Swalik. De ultimis duobus legas: *Sbynko* dictus *Zagicz* sub quo orta est *lis* in clero *gravis* contra *Magistrum J. Hus.* *Albicus* *phisicus* Anno domini 1412. certe in die *sancti spiritus* coronatur et *presedit* usque ad *diuisionem apostolorum* et fit *archiepiscopus cesariensis*. *Balbinus* *resignationem* ejus in an. 1413. protrahit, de diebus nihil. *Lupacius* diem 17. *Julii* notat, annum *variare* adserens.

VI. fol. 95. *Excerpta de Historia tripartita*. *Epiphani* scilicet, aut, si mavis, *Cassiodori*. Ad *narrationem* de *Theodosio Imp.* et *Ambrosio Mediol.* diligenter minio in *marginem* notatum: *Communio sub utraque specie*.

VII. fol. 123. absque titulo *Rudimenta* *Commentarii* in *Genesis* *praelectionibus* *scholasticis*, ut videtur, *destinati*, qui incipit: *In principio creauit deus celum et terram.* *S. Gregorius Omel.* 35.

Tempo-

Temporalis vita eterne comparata mors est potius &c. Porrigitur usque ad C. XXXVII. v. 12.

CXCI. VI. H. 25.

663 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 17. reipsa 13. 4. Exemplum enim partim duplex est, hunc Titulum praefert: *Gregorii de Animo seu Animi Immortalitate. Ad Tatianum. Liber singularis Graecolatini. Claudio Ancanthero M. D. et sacrae Caesareae Maiestatis Historico interprete. Gregorius hic Neocaesariensis in Ponto Episcopus perhibetur, Sec. III. clarus, et Thaumaturgus appellatus, cujus Scripta Fabricius enumerat Bibl. gr. L. V. c. 1. nostrumque hunc primum editum graece ait a Ger. Vossio adjecta versione sua lat. Moguntiae 1604. cum aliis Gregorii Operibus 4. et iterum Versionem hanc lat. cum Claud. Mamerto a Casp. Barthio Cygnaeae 1655. 8. quae Editiones mihi adjacent. Aliam Versionem extare addit in *Bibl. PP. Paris. 1589. T. 3.* At certum est, Versionem hanc jam extare in edit. prima *Bibl. PP. Marg. de la Bigne. Paris. 1576. T. VIII. col. 45.* et etiam Versionem *Ancantheri* nostri jam Sec. XVI. lucem adspexisse. Quamvis enim Editionem nunquam oculis usurparim nec alicubi adnotatam repererim, ideoque nec de anno pronuntiare queam, ipsa tamen *Ancantheri* aetas, ut infra adparebit, et vel maxime Codex noster Typothetarum notis folia*

et paginas impressiois indicantibus signatus rem liquido evincit. Dicat porro Interpres noster laborem suum *Ill. D. Domino Ferdinando Hofman Lib. Baroni in Grülenpüchl et Strechavo, in Grauenstain; Supremo Hereditario Aulae Magistro Duc. Styr. et Supremo Hereditario Marefchallo Archiduc. Austriae et Ducat. Styr. Sc. Caes. Majestis. Consiliario et Aulicae Camerae praefecto, erudita Praefatione, quae incipit: De Animi natura — veterum multiplices distractaeque sententiae fuere &c.* Sententiis his ampla Veterum cognitione expositis ita pergit: *Hunc igitur de animi Immortalitate libellum — latine uerti et in tuo multo amplissimo et ornatissimo nomine, Praeses Illustrissime, diuulgauit tum ut cognosceres, quanta ardeam cupiditate alicuius gratiae apud te promerenda, tum etiam tibi nuncupatum gauderes, quod e Perillustri et perhumani Viri Rudolphi Coraducij aulici Consiliarij omni lectionum librorum genere referta Bibliotheca sit profectus.* Bibliothecam hanc a Coraducii Imperii deinceps Vicecancellarii Heredibus emtam *Ferdinandus II. Domui Professorum S. J. Viennae* dedit, ut habes *Lambec. L. I. p. 65.* edit. *Kollar. col. 136. Seb. Tengenagelio* nostro eam, dum viveret, modis omnibus deposcente Bibliothecae Augustae, cujus vota saltem ab Ordinis extinctione impleta sunt. De ipso Libello sensum suum ita aperit *Ancantherus: Libellus Gregorij nomen praefert.*